



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

I. Principibus dein permissus est ususfructus reddituum Ecclesiæ vacantis. Inquiritur in causas hujus innovationis factæ adversùs canones. Profectum id ex collatione feudorum. Explicantur jura ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

novitati. Probatum ex Oualtramo Episcopo Naumburgensi, illorum temporum scriptore.

XIII. Eam prohibitionem renovavit Urbanus secundus, laudabili tamen adhibito temperamento inter abruptam pervicaciam & deforme obsequium.

XIV. Explicatum temperamentum illud adductis verbis Ivonis Episcopi Carnotensis. Juvatur explicatio ex falso Paschalis secundi, qui Ludovici Francorum Regis praesidium imploravit adversus Henricum quintum Imperatorem investituram acriter retinentem.

I. **I**TAQUE permissus est deinceps Principibus ususfructus reddituum Ecclesiae vacantis, contra quam praesca regulae statuerant, ut in capite superiori diximus. Si quis vero inquirat in causas tam magnae immutationis, is reperiet eam esse profectam ex immutatione quae facta est in conditione & qualitate bonorum ab Ecclesia possessorum. Quemadmodum enim in republica quoddam bonorum genus extat quod vulgo feudum vocant, incognitum Romano Iuri, ideoque novis constitutionibus & antiquarum legum dispositioni contrariis inductum, sic, cum Ecclesiae Regum beneficio donata fuissent bonis hujuscemodi, necessarium prorsus fuit ut illa possiderent feuda iis conditionibus quas in prima feudorum origine invenit publica utilitas. Ergo personae ecclesiasticae quae feuda possidebant, per consequentiam fiebant vassalli Regum, illisque praestare tenebantur homagium & juramentum fidelitatis itemque certum militum numerum juxta valorem feudorum. Praeterea Regi tradere tenentur arces & castra quoties id Regis utilitas postulabit. Unde sequitur necessario Regem post obitum Episcopi, quod eo casu feudum vacet, illud ad se recipere posse ac retinere donec novus Episcopus investituram feudi receperit homagiumque ac juramentum fidelitatis praestiterit. Interim tamen Regi competit jus quoddam fruendi redditibus, dum custodia durat.

II. Primus omnium Clodoveus Rex jura regia Ecclesiis manu liberali concessit, ut constat ex testamento sancti Remigij apud Flodoardum. Cujus exemplum imitati sunt Reges primae stirpis. Pippinus quoque, qui secundae stirpis auctor fuit, eandem liberalitatem exercuit, exempli causa, data Narbonensi Ecclesiae medietate comitatus Narbonensis, ut apud Carellum testatur Carolus Calvus. Beneficus quoque fuit in alias regni sui Ecclesias, quod constaret eum haud minus curasse de augendis bonis Ecclesiarum regni quam Romanae, cui exarchatum Ravennae contulerat. At Carolus magnus, ut observat Vvillhelmus Malmesburienfis in libro quinto de gestis Regum

Tom. II.

Anglorum, praeter causas pietatis, motus etiam fuit ad distribuenda liberali manu bona Ecclesiis ob utilitatem reipublicae, existimans nimirum Episcopos sanctius observaturos fidem promissam, ac praeterea, si res ita postularet, Principem adversus rebelles adjuvatos ope feudorum datorum & excommunicationum pondere. Carolus magnus, inquit Vvillhelmus Malmesburienfis, pro contundenda gentium illarum (id est, Germanorum) ferocia omnes penes terras Ecclesiarum contulerat, consiliofissime perpendens nolle sacri ordinis homines tam facile quam laicos fidelitatem domini rejicere. Praeterea si laici rebellarent, illos posse excommunicationis auctoritate & potentia severitate compescere. Posteriore Reges decessorum exemplo illustria feuda contulerunt Ecclesiis & monasteriis, id quod Duces & Comites imitati sunt postquam feuda facta fuerunt hereditaria. Sed tum praecipue ea liberalitas viguit quando Episcopi, in eorum gratiam qui liberales erant erga Ecclesias, de rigore antiquae poenitentiae remittebant pro modo liberalitatis. Quem morem ante hos sexcentos annos invaluisse docet in quadam epistola Petrus Damiani Cardinalis. Cum a poenitentibus terram accipimus, inquit, juxta mensuram muneris eis de quantitate poenitentiae relaxamus, sicut scriptum est: Divitiae hominis, redemptio ejus.

III. Jus illud Principibus quaesitum in bona ecclesiastica, ob conditionem feudorum, auctum deinde fuit ob adjunctionem & concursum auctoritatis quam Reges Francorum a prima statim eorum stirpe possederunt, assentiendi nimirum electioni Episcoporum a clero & populo factae, ut dein ordinari possent a Metropolitano. Consuetudo haec introducta anno quingentesimo quadragesimo nono canone decimo Concilij quinti Aurelianensis, vires postea accepit ex edicto Clotarij secundi in synodo Parisiensi deliberato anno sexcentesimo decimo quinto. Statuit enim Clotarius ut Episcopus recens electus a clero & populo, si condigna persona fuerit, a Metropolitano consecratur, postquam ita Princeps jussit. Ac tamen sibi reservat potestatem eligendi cum consilio Episcoporum & procerum Consilij regij eos ex ministris aut Clericis palatinis quos ad episcopatum promovendos esse existimaverit. Sic enim explicanda est ultima illa clausula edicti; Si de palatio eligitur. En ipsa verba: Si persona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinatur. Vel certe si de palatio eligitur, per meritum personae & doctrinae ordinatur.

IV. Formulae Marculphi, itemque anti-

HHh

Vide Baronium ad an. 1055. §. 8. & seq.

Flodoard. l. 1. hist. Rem. c. 8.